

SCRIPTA

Numéro Scripta : 235

Auteur(s) : Robert II de Bellême [particulier]

Bénéficiaire(s) : Tours, Saint-Martin de Marmoutier (abbaye)

Genre d'acte : notice

Authenticité : non suspect

Datation : 1092

Lieu d'émission : Bréval

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Notice rapportant la donation faite par Robert II de Bellême à l'abbaye de Marmoutier, de l'église Saint-Léonard de Bellême. L'acte est souscrit par Philippe Ier.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Prou Maurice, *Recueil des actes de Philippe Ier, roi de France (1059-1108)*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1908, n° CXXVIII, p. 324-327.

Indications

Louise Gérard, *La seigneurie de Bellême Xe-XIIe siècle*, dévolution des pouvoirs territoriaux et construction d'une seigneurie de frontière aux confins de la Normandie et du Maine à la charnière de l'an Mil, Flers, Le Pays bas-normand, 1992-1993, 2 vol., t. 2, p. 65.

Texte établi d'après a

Notum sit omnibus posteris nostris, Majoris scilicet Monasterii monachis, quod Rotbertus de Belismo, filius Rotgerii comitis et Mabiliæ, donaverit monachis sancti Martini ecclesiam sancti Leonardi, in Belismo sitam, cum omnibus de quibus saisita erat eo die quo eam dedit et deinceps adquisierit, pro anima sua et pro animabus antecessorum et successorum suorum, ita solutam et quietam ut nullus episcopus, nullus clericus, nullus laicus, nulla persona consuetudinem aliquam in ea requirere possit. Istam enim ecclesiam construxit Willelmus, attavus Rotberti, ita ab omni consuetudine liberam, ut supradictum est, misitque in eam canonicos qui regulariter et religiose Deo in ea deservirent. Qui nimis ordinem suum prevaricati sunt seculariter et inordinate contra canones vivendo. Et hoc passum est usque ad tempus Rotberti, qui providens ecclesiæ sancti Leonardi, placuit ei quod malum erat emendare, tradiditque supradictam ecclesiam Bernardo, abbati Majoris Monasterii et monachis ejus, Deo ibidem servientibus, ad cellam jure perpetuo possidendam. Dedit etiam eis ad officinas suas faciendas plateam, quæ est inter ecclesiam sancti Leonardi et terrale turre, et viridarium quod ibi est ad cymiterium faciendum, Araldo concedente, cujus erat ; et ad hospitalia facienda et stabula et grangias dedit quandam terram, inter ecclesiam sancti Leonardi et sancti Petri sitam, et ex altera parte castelli juxta magnum stagnum, quandam burgum jure perpetuo possidendum solutum et quietum. De omnibus his misit ipse Rotbertus donum in capitulum sancti Martini Majoris Monasterii per Rainaldum de Coletto et Richardum de Rochella. Per ipsos etiam misit domnus abbas Bernardus de eodem capitulo, sancto Leonardo donum de ecclesia sancti Martini Veteris Belismi, quod donum posuit Willelmus monachus de Vivonio super altare sancti Leonardi, jussu Bernardi abbatis. Talisque convenientia

est inter ipsum Rotbertum et abbatem et monachos Majoris Monasterii quod, eo vivente nichil inde ad Majus Monasterium deferetur, nisi licentia ipsius Rotberti ; post mortem autem illius, prior sancti Leonardi deferet ad Majus Monasterium singulis annis decem libras denariorum aut decem libratas, eo non indigente, si monachi Majoris Monasterii indiguerint ; sed et hoc ex nullo debito aut consuetudine requiretur. Si vero deinceps aliquis surrexerit, qui nequitia sua aut injusticia beato Martino quod supradictum est auferre voluerit, quod absit, non habeat potestatem id faciendi. Quod vero si, diabolo instigante, acciderit, monachi Majoris Monasterii Veterem Belisum non perdant quem prius habuerunt. Et si aliquis consentiri voluerit ut monachi Majoris Monasterii perdant, ex auctoritate apostolici et omnium episcoporum, quorum auctoritate prætexata ecclesia dedicata est, et ab omnibus consuetudinibus absoluta, sicut in aliis litteris continetur, anathemate perpetuo feriatur. Hoc vero noverint monachi Majoris Monasterii, quos in castellum suum ad habitandum recepit, quia de omnibus injuriis sibi factis non vult Rotbertus ut aliam justitiam nisi suam requirant ; si enim facerent, postquam abbati et capitulo Majoris Monasterii monstraret, si non desisterent, quicquid eis donaverat perderent. Testes qui hoc viderunt et audierunt sunt isti. De monachis : Willelmus Cocia, Radulfus de Giemmo, Arduinus de Islo, Stephanus et Rainaldus, Guicherus decanus Cenomannensis. De famulis : Giraldu Moceolus. Ex parte ipsius Rotberti : Gulferius de Villareto, Rainaldus de Coletto, Rainaldus de Nonestantevilla, Radulfus de Pratis, Radulfus Malaherba, Odo de Quincenno, Guido de Jailla, Rotbertus Carellus. Haec omnia superscripta concesserunt et auctorizaverunt fratres ipsius Rotberti, Hugo, Rotgerius, Arnulfus. Cujus rei testes sunt : Gulferius de Villerio, Rainaldus de Calletto, Rainaldus de Nonstantevilla, Odo de Poilleo, Guillelmus de Calce, Gauterius Quesnellus, Morinus de Merlai, Hugo Goscelini filius, Guillelmus de Belfai et Rotbertus frater ejus, Gausfridus Alisus, Guinebaldus de Baleone, Hugo Francus, Gaudinus Carp., Rainaldus Oiardus, Martinus camerarius.

EGO HUBERTUS, REGIS PHILIPPI CAMCELLARIUS, SRIPSI ET SUBSCRIPSI.

Signum Guidonis dapiferi. \$\$ Signum + regis Philippi. HUBERTUS. \$\$

Signum ROTBERTI capellani.

Signum Milonis buttic[u]larii. \$\$

\$\$

Signum Pontii Humberti camerarii. Signum R+OTBERTI de Belismo.

\$\$

Signum Gualonis constabularii.

\$\$

Signum Simonis de Nielpha.

\$\$

Signum Ivonis, Carnotensis episcopi. (Locus sigilli.)

\$\$

Signum Fulconis, Belvacensis episcopi.

\$\$

Actum quando rex obsideret castrum quod dicitur Breheva[llis], anno ab incarnatione Domini millesimo nonagesimo .II.

Signum HUBERTI CAMCELLARII.

\$\$